paulatim exterminaret. Non quia impotens
eras in bello subicere impios iustis, aut bestiis
saevis aut verbo duro simul exterminare.
Sed partibus iudicans dabas locum paenitentiae.
Non ignorans quoniam nequa est natio illorum.
Et naturalis malitia ipsorum. Et quoniam non
poterat mutari cogitatio illorum in per-
petuum. Semen enim erat maledictum
ab initio. Nec timens aliquam veniam dabas
peccatis eorum. Quis enim dicet tibi quid fe-
cisti. Aut quis stabit contra iudicium tuum.
Aut quis in conspectum tuum veniet vindex
iniquorum hominum. Aut quis tibi imputa-
bit si nationes perierunt quas tu fecisti. Nec
enim est alius deus quam tu cui cura est de omni-
bus ut ostendas quoniam non iniuste iudicasti.
Neque rex neque tyrannus in conspectu tuo inquirent
de his quos perdidisti. Cum sis ergo iustus iuste
omnia disponis. Ipsum quoque qui non debet puni-
ri condemnare. Exterum aestimas a tua virtu-
te. Virtus enim tua iustitiae initium est. Et ob
hoc quod dominus es omnibus te parcere
facis. Virtutem enim ostendis tu qui non crederis
esse in virtute consummatus. Et horum qui
[...]nt audaciam traducis. Tu autem domina-
[...]tutis cum tranquillitate iudicas.

Fragm. 6

License: cc-by-nc – Wien, Österreichische Nationalbibliothek, Fragm. 6, Fragm_6_2r – Biblia Sacra Vulgata, Liber Sapientiae
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-pg8q/357/10945)